



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **SANGGAUENSIS\*** SEKADAUENSI

HUCUSQUE PRAEFECTURA APOSTOLICA

«UNIONE EXSTINCTIVA» DEHINC CONIUNCTA CUM SANGGAUENSI

VICARIATU FORANEO I.E. DECANATU AB ARCHIDIOECESI

PONTIANAKENSI DISTRACTO NOVA IN INDONESIA

CONDITUR DIOECESIS NOMINE SANGGAUENSIS

Quam maxime foventes quidquid boni ad Christianum Nomen in terris propagandum efficax  
videtur, hac ipsa die propositum Nobis consilium ad evangelizationis opus pertinens confirmare  
non dubitamus. Cum enim Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales negotiis Sacrae  
Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide praepositi, iis quorum  
interest auditis, prudenter censuerint in civili Indonesiae provincia Kalimantan Occidentali  
nuncupata novam dioecesim constituendam esse ex integra regione vulgo « Kabupaten Sanggau  
», libenter Nos, eiusmodi sententiam ratam habentes, de plenitudine potestatis Nostrae  
Apostolicae hisce Litteris ea decernimus, quae sequuntur, eademque iubemus. Sekadauensis  
extinguatur Praefectura Apostolica ut talis, quae per Constitutionem Apostolicam «  
Quandoquidem condere », die nono mensis Aprilis a. D. MCMLXVIII datam, a Paulo VI Decessore  
Nostro v. m. constituta erat ; simul atque praecipimus ut omnia et singula loca civilis regionis vulgo  
Kabupaten Sanggau, in quibus hucusque Vicarius Foraneus seu Decanus « Sanggau »  
constitit, ab archdioecesi Pontianakensi separentur. Quibus omnibus una cum Sekadauensi olim  
Praefectura Apostolica simul sumptis novam condimus Ecclesiam Sanggauensem appellandam,  
quae suffraganea erit Metropolitanae Ecclesiae Pontianakensi, eiusque cathedralm episcopalem in  
sacra aede civitatis Sanggauensis principe statuimus, quam idcirco ad cathedralis templi  
dignitatem evehimus, simul mandantes ut ibi pro Canonicorum coetu Consultores dioecesani  
interea adhibeantur ad statutas normas electi. Denique decernimus ut omnia, quae hic iubemus,  
ad effectum adducantur a Venerabili Fratre Paulo Puente, Archiepiscopo titulo Macrensi in  
Mauretania atque Apostolico in Indonesia Pro-Nuntio, aut a viro in ecclesiastica dignitate  
constituto, quem ipse delegaverit, salvo onere curandi ut certa veraque singulorum de executione  
documentorum exempla ad Sacram Congregationem pro Gentium Evangelizatione seu de

Propaganda Fide transmittantur. Has porro Litteras Apostolicas nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis haud obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die octavo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo secundo, Pontificatus Nostri quarto.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI

*a publicis Ecclesiae negotiis*

AGNELLUS Card. ROSSI

*S. Congr. pro Gentium Evang. Praefectus*

Iosephus Del Ton, *Protonot. Apost.*  
Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

---

\*A.A.S., vol. LXXIV (1982), n. 9, pp. 975-976

© Copyright 1982- Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana